

39

W E S T - F R I S I A , S I V E H O L L A N D I A B O R E A L I S .



*Diviso
Hollandiae.*

Hollandia in plures partes dividitur, quæ peculiaria nomina fortiuntur, ut Kennemariam, Waterlandiam, Amstelendam, Goelandiam, & similes. Sed maxime communis & alicujus usus divisio est

in Australem & Septentrionalem, quarum hæc etiam *West-Frisia* dicitur. nam hæ partes nonnihil moribus & institutis variant, incolarumque ingenia & habitus plurimum discrepant. Dicitur *Septentrionalis* Hollandia, respectu situs, quia ad Septentrionem vergit, si cum reliqua Hollandiæ parte compares. Dicitur *West-Frisia*, respectu Frisiæ, quæ hodie specialiter ac proprie Frisiæ nuncupatur. Hæc enim ad Orientem jacet, si cum hac parte compares. Frisiæ nomen habet, quia hic sedes olim fuit Frisiorum minorum, qui trans Rhenum ad Oceanum habitabant & Flevum. ita ut Trajectensis provinciæ ac urbis pars transhenana, Velavia omnis, etiam Amstelodamum & Harlemum Frisiæ nomine venerint. Septentrionalis vero ac Australis Hollandiæ limites ratione regiminis politici & Ecclesiastici diversi sunt. Nam politici ratione, Australi accensentur Harlemum & Amstelodamum: Ecclesiastici vero, hæc oppida cum suis pagis & classibus Synodo Septentrionalis Hollandiæ accedunt. Sunt autem Septentrionalis Hollandiæ urbes hæ: *Alcmaria, Horna, Enckhusa, Edamum, Monachodamum, Medenblicum, Purmeranda.* *Alcmaria* tribus Horna milliariibus abest, urbs nitida, olim undique lacubus & stagnis circumdata: quorum jam aliquot incolarum industria exhaustis aquis in pascua sunt conversa. Antiquitatem suam ab anno 1000 accersit. Constat sane, ante annos quadringentos & quinquaginta à West-Frisiis incensam; nunc ab insultu & impressione hostium vallo egregie tutam, ædificiis splendidis ornatam, populosam, & omni genere com meatuum abundantem esse. Nomen meruit, superioribus annis, Hispanorum exercitu post Harlemi deditionem à mœnibus suis fortiter repulso. *Horna* circa annum Domini 1000 primum ædificari cœpit, quum in sinum illum Danica navigia crebrius appellerent, cum bubulo pecore ad mercatum, sub Aprilem mensem. Hæc Frisiæ Occidæ metropolis audit, habetque monetam Westfrisiæ. Oppidum est copiosum, quod ex semisse mari, sive freto Au-

*Urbes West-
frisiæ.
Alcmaria.*

Horna.

Belgica.

strali, (olim Flevus erat) alluitur: reliquam partem amœni agri & lata pascua cum pagis minime obscuris & locupletibus cingunt. Plateas habet peramplas, portum tutum & tranquillum in interiori sinu. Et licet nunc commercium illud Danicum fere Enchusam translatum sit, tamen urbs navigationibus in omnes pene orbis partes, & navium struendarum singulari peritia, in summam frequentiam & opulentiam evasit. *Enchusa* in Septentrionali Hollandiæ parte oppidum elegans, & natura loci admodum munitum: maris furori objectum, quem in extremo terræ margine situm despicit: opibus mari partis insigne, lateritiis plerisque ædibus ornatum; paucioribus ligneis, ob incendiorum periculum, quæ semel iterumque olim expertum metuit. qua mare respicit, muro; qua terram, vallo terreo cingitur. Oppidum hoc factitii salis gloriam affectat, numerosis admodum longo secundum aggerem tractu extructis tectis salariis, in quibus strues salinarum aggestas videre est, sudantibus noctes diesque operis: quæ olim extra vallum, nunc intra illud recepta sunt. Oppidani homines gnavi & industrii, ex Armorici civitatibus atque aliunde salem asperum & pullum devehunt, cortinis amplis excoquant, affusa marina, quæ nonnihil inertem mitemque gustus salis saporem corrigendo exhibet, ac candorem mensis cibisque gratum arte conciliat. Hoc oppidum Neptunium dici jure queat, quod fatali illa (inquit *Junius*) & haud scio qua immutabili sempiterni ordinis lege, maris quoddam imperium & classium agitaverit, propitio Caroli Cæsaris & Philippi regis studio atque favore, quando uterque non aliis temere navibus vitam suam, hic in transmittendo Oceano, ille in suscipiendis expeditionibus, commiserint. Ampliatum id oppidum anno 1000, pomœriis longe lateque productis, & vasto terrarum spatio intra vallum accepto, ita ut nunc extra vallum vix sesqui horæ spatio ambiri possit. *Edamum*, Borealis itidem Hollandiæ oppidum, non inamœnum, tum navium struendarum singulari industria, tum præstantissimi casei copia celebre: muro & fossa cinctum. Distat Horna terra marique spacio pene æquali duorum milliarium. Situm ad interiorum freti australis sinum ab una parte; ad permagnum lacum ab altera: qui hodie exhaustis undis & aggere septus in pascua & arva conversus est. *Monachodamum* milliari uno dissidet ab Edamo. Ad Eurum illi objecta Marca insula, tranquillio rem maris sinum patitur. Oppidum exiguum est, vallo, & aliqua parte muro cin-

Enchusa.

Edamum.

Monachodamum.

P p

Etum: